



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 128. Lugduni expugnatio irrita successu tentata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A.C. 1560. quem in finem omnes, nisi loco cedant, nobiles, item non eadem sentientes vi, armisque coacturi sunt. His quoque addebat, quod Aurelianensis urbs ad id in belli aciem, ac confugii locum fuisset delecta.

§. CXXVIII.

Lugduni expugnatio irrito successu tentata.

Thuan. 2.6. Quarto post captum Sagam die consilium de Lugdunensi urbe repentino impetu obruenda detegebatur. Hujus expeditionis cura demandata erat Francisco Malinio juniore ex Ferrerorum genere orto, qui Navarræ Regis obsequio addictus certe Lugduno potitus fuisset, nisi Achonius Savignii Cœnobii Abbas, qui absente Santandrea-no Marescallo ejus Avunculo huic urbi præerat, tempestive conspirationem detexisset, civesque ad arma convolare jussisset: Sub idem tempus Gondrinio, & Maugirono in urbem accersitis Malinius sese recipere compellebatur. Santandreaanus vero hujus conjurationis secreta detegere a Guisii jussu nil certi comperire poterat, quamvis plusquam quinquaginta viros conspirationis socios, ac Navarræ Regi, & Condæo Principi oppido addictos extremo supplicio affici præcepisset, atque inter ceteros

teros etiam ad mortem damnasset Bor-
 dinum, quem Condæus ob probatam fi-
 dei suæ integritatem plurimi habebat.
 Porro in fidelitatis præmium Acho-
 nius Abbas ad Arelatensem Archiepis-
 copatum nominabatur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1560.

§. CXXIX.

*Navarræ Rex, & Condæus Prin-
 cept aulam accedere a Rege
 jussi.*

Interea crebrescente passim de novis
 motibus rumore Regina Mater, ut
 Regis Filii sui, suæque securitati con-
 suleret, Fonte-Bellaqueo ad oppidum
 S. Germani in Laja confugit, ubi Car-
 dinalis Castillionæus, ejusque Frater
 Francicæ classis Præfectus ab eadem
 Regina licentiam impetrabant, ut Ro-
 jam Viduam Sororem suam, ac Con-
 dæi Principis Socrum de criminibus i-
 plius Genero imputatis certiore red-
 dere possent: horum caussa, inquietabant
 ipsi, Rex Antonium Crussolii Comitem
 ad Navarram legaverat, eique, ut Con-
 dæum fratrem suum in aulam adduce-
 ret, mandaverat, fide data, nihil ei da-
 mni inde obventurum, cum Rex equi-
 dem crederet falsa esse ea, quorum ejus
 Gener insimuletur, sed Regis interesse,
 & ad Condæi Principis existimationem

Thuan. l. 6.

H h 5 per-